A et Ω

DE

ELOQVE

APOLL

VIRI APOS

DISSERT

QVAM

IN ILL. GYMN

HENNEBE

PVBLICAE PLACII

EXPONV

PRAES

M. LAVRENTIVS

Ill. Gymn. Co

ET

RESPON

ALBRECHT. CHE

Lipsien

Ad D. Ma

SCHLEVS

LITTERIS G. W. GOEBELI

A et Ω

DE

VENTIA LLONIS POSTOLICI

SERTATIO

QVAM

MNASIO SAXO-

NEBERGICO

LACIDAEQVE συζητήσει

XPONVNT

PRAESES

IVS Müller Meinungensis

ymn. Con-Rector

ET

SPONDENS

CHRISTIAN. Roith

Lipsiensis

Maii CIↃ IↃ CCXVII

HLEVSINGAE

DEBELII, ILL. GYMN. TYPOGR

ILLVSTRISSIMO. ET. GENEROSISSIMO
DOMINO

DOMINO. IO. ÆGIDIO

S. R. IMPERII. BANDERISIO

ET. LIBERO. BARONI

ab. ALEMANN

DYNASTAE. CLIENTELARVM
SCHMIDEBERGAE. RELIQVA
SERENISSIMI. ATQVE. POTENTISSIMI
SARMATARVM. REGIS
ET. SAXONVM. ELECTORIS
MINISTRO. STATVS
SPLENDIDISSIMO
ET. IN. SANCTIORE. SENATV. CONSILIARIO
OPTIMO
RERVM. QVE. METALLICARVM. SVPREMI
DIRECTORIS. VICEM. GERENTI
GRAVISSIMO
NVTRITIO. MVSARVM
INDVLGENTISSIMO

HEROI. IN. TOGA

CVIVS

ILLVSTRIBVS. CONSILIIS

CVRA. FIDELI

ET

ELOQVENTIA. MAXIME. PRVDENTI

SAXONIAE

REBVS. SACRIS. AEQVE. AC. PVBLICIS

PROSPICITVR

CONSULITVR

HAEC

DE. ELOQVENTIA. APOLLONIS

SACRA. ESSE. CVPIT

ANIMI. QVE. PII. AC. DEMISSI

MONIMENTVM

CONSTITUIT

SIMVL. QVE

DEI. PROPITIVM. NVMEN

VT. *IPSVM.* CVM. DOMO. PER-ILLVSTRI

GEIERO-CARPZOVIANAE

SVAVISSIME. IVNCTA

CVSTODIAT. SERVET. PROTEGAT

ET. QVAE. AGERE. INSTITVIT

IN. TAM. TREPIDIS. REBVS

ADPROBET

GLORIOSE. FELICITER. PIE. QVE. ET. BENE

EVENIRE. SINAT. AC. VELIT

DEMISSE. OBTESTATUR

TANTI. NOMINIS

TANTI. QVE. MAECENATIS

PERPETVVS. ADORATOR

ALBR. CHRIST. Roth

PROOEMIVM.

ERunt ſine dubio, quibus intuitu leuiori temerarius videbitur labor noſter, dicturi dum ſumus in Diſſertationibus nonnullis de ELOQVENTIA APOLLONIS, *magni nominis viri quidem in ſacris litteris, ſed in Eccleſiaſticarum Antiquitatum monumentis ignoti paene, ac ſilentii peplo inuoluti. Quibus quid reponamus, non admodum habemus quidem: fateamur enim oportet, praeſtans omnino argumentum, quo de diſſerimus, eſſe, nec ita obuium in eruditorum ſcriptis, nedum in ſcholis; Verum et hoc potiſſimum eſt, quod allexit nos, illi vt animum adplicaremus noſtrum, qui neque crambem decies coctam adponere, neque argu-*

mento inutili nos detinere, fas et aequum putamus. Virium imbecillitatem lubentes agnoscimus: sed nec voluisse aequioris ingenii hominibus probari, ignoramus. Legas igitur animo minus praeoccupato, quae et inpraesenti, et inposterum, Deo auspice, commentaturi sumus de APOLLONIS, VIRI APOSTOLICI, eloquio, *expendas prolata, et dextrum deinceps iudicium instruas: fortassis haud deerunt, quae calculum merentur, plura procul dubio, quae sollicitius rem expendendi, occasionem suppeditabunt. Quocirca ne reiicias statim, cuius vim illico non adsequeris, nec praecipiti animo damnes, quod a consueta vulgi opinione recedit nonnihil, atroque tu carbone notandum, animi perturbationibus abreptus, suspicaris. Diuino honori, veritatisque diuinae testis memoriae studere hac opella adlubescit, quam et iuuentuti non inutilem fore, inde speramus, quod ad reconditae antiquitatis monumenta et studium perducit eam, ad sacrarum litterarum meditationem allicit, eloquentiam comtam et prudentem insinuat, atque eruditae pietatis exemplum ob oculos ponit. Argumentum vero eiusmodi, quod eloquentiam inprimis spectat, cur elegerim, ratio est, quod III. Gymnasii nostri leges id iubent, quibus obniti, nefas esse iudicamus,*

camus,

camus. Occupata igitur erit industria nostra QVATVOR *inprimis* CAPITIBVS, *vt quoad eius fieri potest, inquiramus* primum *de* PRINCIPIIS *iudicandi de* APOLLONIS Eloquentiae vi *ac dignitate*, dein *vero de* ADQVIRENDAE ILLIVS MEDIIS, porro *de* ADQVISITAE ELOQVENTIAE VSV, *ac* demum *de* DEFENSIONE EIVSDEM. *Vitam factaque illius seorsim enumerare, esset rem agere a consilio nostro alienam: interim, quae ad rem faciunt, dicique merentur, sedulo nos adnotaturos esse pollicemur. Illud praelibasse iam iam sufficiat*, Apollonem, *cuius eloquentiam laudibus ornamus*, Alexandrinum, Hebraeis parentibus natum, ἄνδρα λόγιον, Ioannis doctrina primo imbutum, et deinceps de Christo eiuspue doctrina plenius institutum, virum Apostolicum, et insignem veritatis Euangelicae statorem et assertorem fuisse

Cap. I.

DE PRINCIPIIS, IVDICANDI DE APOLLONIS ELOQVENTIAE VI AC DIGNITATE.

Sect. I.

DE ELOQVENTIA ET PRINCIPIIS IN GENERE.

§. I.

DE (α) APOLLONIS, viri Apostolici, *eloquentia*, atque in praesenti potissimum de *principiis*, quorum beneficio aestimare in promtu sit de praestantia illius, disserere dum animum induximus nostrum, vix inoffenso pede id argumenti adgredi nos posse videmur, nisi explicatum prius dederimus, *de eloquentia summatim et principiis* quid sentiamus. Variae sunt hominum opiniones de *Eloquentia*:

(α) Id genus nomen ita dum flectimus, neminem hac libertate nostra offendi posse spero; siquidem non graecorum flectendi rationem, sed latinorum sequi maluimus. Ceterum notatu perquam digna sunt, quae ad graecum Ἀπολλῶς vocabulum obseruat, *insigne Gymnasii Saxo-Hennebergici ornamentum*, *Magnif. Ephorus noster*, FRID. ERNEST. MEISIVS *in Explicatione priorum verborum v. 25. Cap. XVIII. Act. Apost. §. 3. pag. 4*

tia: nec inuidemus, quemlibet ſuo abundare ingenio, ſi modo nobis definire liceat breuibus, quid generatim ea complectamur. De voce vero hoc minus eſt, cur diu multumque laboremus, inutilique labore chartam perdamus et atramentum. Nemo enim neſcit, vnde deſcendat eloquentiae vox, et quae alia inſuper nomina adſumat

§. II. Rem vero quod adtinet, ſunt, quibus eloquentia nihil aliud eſt, quam *latine loquendi facultas.* Et quum romanae linguae vſus rarior ſit, et infrequens in vita ciuili; factum inde eſt, vt adunco naſo ſuſpendatur optimum hoc ſtudium, et ad ſcholarum dumtaxat vmbras amandetur. At enim vero parum prouide illi iudicant de doctrina, quae ad linguas omnes, gentesue apta eſt, perpetuoque ſe vſu probat, non in pompa tantum et ſollemnibus, ſed etiam in priuatis rebus, familiarique ſermone omni. Sunt, qui eloquentiae nomine *facultatem* intelligunt, *de qualibet re propoſita, verbis volubilibus prolixisque diſſerendi.* Sed quis paulo prudentior non animaduertit, loquacitatem nugasque bullatas venditari ab iis pro morata ſapientique facundia? Sunt, qui eloquentiae naturam et dignitatem, *verborum floſculis, et conglomeratis hinc atque inde emblematum, Symbolorum, et ſententiolarum obſeruationibus* metiri ſolent. Verum et illi affatim produnt, vltra pueros vix ac ne vix quidem ſe profeciſſe. Alias easque innumeras de eloquentia praeſumtas (c) opiniones proferre poſſem, niſi alienum a ſcopo eſſet meo, nec conſtitutum haberem, pluribus agere de iisdem in peculiari diſſertatione

(c) Vid. IO. BVRCH. MENCKENII *Declam. de Charlataneria Eruditorum p. 118. ſqq.* Edit. Amſtel. 1716

§. III. Quare paucis, quid eloquentia mihi sit, declarabo: *Est prudentia persuadendi*; Nam *Animi sensa vel voce vel scripto ita exprimere, vt veritas, qua de disquiri potest, probe excogitata et circumuestita opportunis persuadendi mediis, recto apteque ac prudenter composito sermonis genere lectorum vel auditorum animis se insinuet, et quo velis, eosdem trahat*, id demum, ni fallor, est, dicendi artem tenere

§. IV. Ex quo simul patere reor, eam nobis opionem esse, minime absolui eloquentiam *artificio styli*, qui illud modo intendit, vt, quae de rebus cogitamus, cogitandoque deducimus, sermone simplici ac recto, hoc est, emendato, perspicuo et adaequato cum aliis communicentur: quum *eloquentiae studium* eo potissimum tendat, vt de mediis prudenter cogitet, rem proponendam persuadendi aliis, styloque adposite temperato insinuandi. Adpellabis illud, si placet nobiscum *loquentiam*, hoc vero *eloquentiam*, quarum illa inesse iam debet in iis, qui persuadendi prudentiam adquirere sibi volunt

§. V. Equidem maxime occupata eloquentia est in *veritatibus*, quae probabilitate se commendant, moresque et agendi rationem spectant; inter tamen ea nihil impedit, quo minus eiusmodi quoque veritates ornet, quae demonstratiuae adpellari ac theoreticae solent. Dum vero dicimus, *rem probe excogitatam* esse debere, facile, credo, quisque intelliget, exquisitam ingenii et iudicii vim, mentemque optimarum, praecipue logicarum et moralium disciplinarum, cognitione et vsu excultam, atque in meditando felicem, in oratore hoc modo nos desiderare. De *persuadendi mediis* potissimnm sollicitus orator est, eo quod non tam illud praefixum animo habet, vt *conuincat*, quod facit logicus,

quam

quam vt *perſuadeat*, mentemque audientis vel legentis flectat in adſenſum; licet pro diuerſa ratione vtrumque prudenti conſilio in ſermone interdum coniungatur

§. VI. *Recto* quidem *dicendi genere*, hoc eſt, dictione pura, perſpicua, polita atque vſitata, eloquentia gratam ſe et iucundam praeſtet oportet, ne ſordidis, obſcuris, turgidis, et a conſuetudine ſenſus communis abhorrentibus verbis impingat, et finem perdat ſuum. At quum flectere potisſimum ſtudeat orator, recte dicendi rationi minime adquieſcit, ſed ornat eam variis inluminandi, amplificandiq; modis oratoriis, periodis harumque partibus bene iunctis, et adfectibus mentisque excitationibus innexis ac ſcite temperatis. Tandem vero, (γ) multa paucis vt complectar, *prudentia*, qua par eſt, prouidet orator, quid res, quid cauſa, quid locus, tempusue, et quid hominum natura ferat

§. VII. De Eloquentia ſummatim iſthaec dicta ſufficere poſſent, niſi adnotare inſuper inſtituti ratio iuberet, ad originem quod ſpectat, *infuſam* aliam eſſe, aliam *opera et ſtudio paratam*. *Illa* ortu plane coeleſtis eſt, ac viris olim θεοπνεύςοις ſingularis, quae diuinis ſenſibus et inſita quadam virtute efficax, viros eloquii omnisque doctrinae humanae vel maxime expertes, modo neſcio quo eminentiori, facundisſimos efficit; *haec* temporis interuallo ſenſim ac ſenſim addiſci, ac pro diuerſitate eorum, quae ſermone explicanda ſunt,

(γ) De Eloquentiae natura et indole pluribus, ſi mauis, edocere te poteſt GOTTFR POLYCARP. **Müller** *in Idea Eloquentiae Nou-Antiquae*, quae prodiit nuper Lipſiae. Conf. Illuſtris Anonymi *Philoſophia Principis, Pedantismo oppoſita*, (quam praefatione praemiſſa edidit IO. PETR. **Ludewig** Hal. 1711.) Lib. II. cap. V, pag. 214

ſunt, nunc *ſacra*, nunc *ciuilis* dici ſolet, vtut vna ſit eloquentia, ſiue ratio bene ac prudenter dicendi, praecepta ex ipſa rerum natura petita, vſuque omnium ſaeculorum firmata ſuppeditans. Quam vtramque facundiam et *infuſam* et *humanam* etſi in Apollone coniunctam amice fuiſſe nulli dubitemus, ſeorſim tamen conſiderari poſſe, quin imo antequam diuino lumine extra ordinem colluſtrata mens eius fuit, diſtinctam a *diuina humanam* fuiſſe, nemo, vt arbitror, negabit. Atque *poſterior* haec, eaque *ſacra* quidem eſt, quam in APOLLONE noſtro ſpectandam inprimis dare decreuimus

§. VIII. Quum igitur ex iis, quae in medium protulimus, ſatis ſuperque pateat, quid per Eloquentiam intelligamus. Nunc tribus, vti loquuntur, explicandum reſtat, quid PRINCIPIA nobis deſignent. In tricis enim ſcholaſticisque (δ) ineptiis, vt multus iam ſim, nec inſtituti noſtri ratio, nec guſtus patitur; ſiquidem eo tendit *illa*, vt de *Apollonis eloquentia* agamus, minime vero vt prolixiores ſimus in excutiendis philoſophorum dictis de Principii notatione: *hic* vero a muſicis huius generis cupediis ita abhorruit ſemper, vt ab illarum iucunditate videlicet nunquam capi potuerit. Nihil igitur aliud nobis *principia* heic loci ſunt, *quam rationes, ſeu Aetiologiae certae et clarae, id quod probamus per eaſdem, plene ac perſpicue in ſe continentes*

§. IX.

(δ) Cui volupe eſt, adeat DAN. STAHLII *Compendii Metaphyſicae Tab. V. de Principio et Principiato et diſcurſum ad eamdem*, qui habetur *pag. 52. ſeq.* Locum vero iſtum peculiari ſtudio tractauit et enucleauit IO. DORNFELDIVS *in Diſſert. de Principio* hab. Lipſ. 1671

§. IX. Huiusmodi principia, de APOLLONIS eloquentia iudicandi, ſuppeditabunt *primo elogium*, quo magnus ille veritatis doctor in ſacris pandectis ornatur: *deinde ſchisma Corinthiorum*, quo de Paulus in epiſtola ad eosdem prolixe agit, ſuum Apollonisque praedicandi modum tuendo, aemulosque grauiſſimae arguendo offenſae: *tandem* vero *ſcripta* eius, quibus diuina veritas inluminatur vberius, atque inſtillatur animis hominum virtute coeleſti. Atque haec ſunt, quae ex ordine proponenda porro erunt.

Sect. II.

DE ELOGIO APOLLONIS

§. I.

PRaeconium, quod ſanctus Spiritus APOLLONI ſacris in litteris (ε) tribuit, hoc modo ſe habet: Ἰουδαῖος δέ τις Ἀπολλὼς ὀνόματι. Ἀλεξανδρεὺς τῷ γένει, ἀνὴρ λόγιος, κατήντησεν εἰς Ἔφεσον, δυνατὸς ὢν ἐν ταῖς γραφαῖς κ. τ. λ. *Iudaeus autem quidam, Apollos nomine, natu Alexandrinus, vir ratione et oratione valens, peruenit Epheſum, litteris ſacris pollens etc.* Dicitur Apollo, ἀνὴρ λόγιος. Syrus legit: ܘܡܠܝܠ ܗܘܐ ܒܡܡܠܠܐ *et eruditus in eloquentia:* Anglicana verſio habet: *an eloquent man*, cum qua coincidit gallica, vulgata et ceterae forſan omnes. Verum probe ad hunc locum obſeruat CHRYSOSTOMVS, atque ex illo LORINVS, latius patere ſignificatum vocis λόγιος, ita, vt non *diſertum* modo, et facundum; ſed *celebrem* etiam, *peritum* et *in hiſtoria atque antiquitate verſatum* nobis

(ε) Actuum Apoſt. Cap. XVIII. 24. ſq

nobis commendet. Prudentem etiam et bonum *dialecticum* addit Duacensis professor, BARTH. PETRVS LINTRENSIS, adseritque, significationes istas vel maxime huic loco congruere. Quam sententiam quominus et nostram faciamus, nihil plane impedire videtur

§. II. Vt enim vocabulum λόγος apud bonae notae scriptores classicos duo praecipue ingerit, *rationem*, vnde logica et mathematica, et *orationem*, vnde apud oratores sermones et orationes: ita et vox λόγιος duo ista per quam commode includit, vti videre inter alia est ex cognomento *Mercurii*, quo de obseruat eruditus VOSSIVS, (ζ) eum ceu stellam, calidiorem siccioremque, ac simile in nobis, vt creditur, temperamentum efficientem, praefectum a paganis *ingenio* esse ac *sermoni*: quia, qui temperamenti sunt calidioris ac siccioris, soleant esse ingenii sollertis, iudicii acris, diserti, negotiosi ac industrii. Vnde λόγιος (η) *Mercurius* dictus, *ab animi sermonisque vi et contentione*, quam ridiculo pagani symbolo (θ) expresserunt. Pari igitur ratione λόγιος

(ζ) GERARD. IO. VOSSIVS *de Origine et progressu Idololatr. Lib. II. Cap. XXXII. p. 174.* Edit. Amstelod.

(η) ATHENAEVS *Lib. I. Cap. IX*

(θ) Locus est apud PLVTARCHVM, *An seni sit gerenda res publica*: vbi senem, ait, posse vacare muneribus iis, quae non possunt sine viribus sustineri, ac satis esse, vt consilio valeat. Subdit inde: Διὸ καὶ τῶν ἑρμῶν τοὺς πρεσβυτέρους ἄχειρας καὶ ἄποδας, ἐντεταμένους δὲ τοῖς μορίοις, δημιουργοῦσιν αἰνιττόμενοι, τῶν γερόντων ἐλάχιστα δεῖσθαι διὰ τοῦ σώματος ἐνεργούντων, ἐὰν τὸν λόγον ἐνεργὸν, ὡς προσήκει, καὶ γόνιμον ἔχωσιν. *Propterea et Mercurios seniores sine manibus ac pedibus, rigido fingunt veretro, hoc obscure quasi per aenigma innuentes, haudquaquam a senibus requiri, vt corporis ministeria obeant; dummodo ratio iis, atque oratio efficax sit atque foecunda*

λόγιος APOLLO noſter dicitur, quod diuino τοῦ λόγου, hoc eſt, *rationis* et *orationis* dono egregie excelluit. *Hac* vir apoſtolicus expeditus extitit, ad eloquendum et perſuadendum: *illa* vero ad inueniendum, iudicandum et demonſtrandum. Ad *inueniendas veritates* felici ornatum ingenio fuiſſe, ſatis inde patet, quod IEſum Mariae filium in veteris Teſtamenti tabulis felici ſucceſſu reperiſſe dicitur: *Iudicandi dexteritatem* adſerit Lucas, dum δυνατὸν eum vocat ἐν ταῖς γραφαῖς: Feliciter porro *diſputauit*, quia εὐτόνως τοῖς Ἰουδαίοις διακατηλέγχετο δημοσίᾳ: *veritatem* denique euicit ſolide, ac *demonſtrauit*, ἐπιδεικνὺς διὰ τῶν γραφῶν, εἶναι τὸν χριστὸν Ἰησοῦν. *Eloquentia* vero et diſſerendi facultate apud Corinthios tantus euaſit doctor, vt aemulis nonnullis Paulo et Cepha non viſus ſit inferior

§. III. Elogium igitur, quo Apollonis euehuntur animi mentisque dotes, quum duo iſta potisſimum contineat, forte non admodum erraueris, ſi cum VITRINGA (ι) veri ſimile ducas, pertinuiſſe illum ad philoſophos, qui LOQVENTES nuncupantur, atque originem procul dubio debent Διαλεκτικοῖς veteribus, qui duo iſta mirifice excoluerunt. Elegans eſt in libro COSRI (κ) locus, (λ) in quo non *ſectam* ſolum *loquentium* deſcriptam deprehendimus, ſed et ipſum *titulum* ſeu laudem, qua extollitur a ſancto flamine APOLLO noſter; Ita enim Rex inquit: השמיני בחסרך כללים

 מקצרים

(ι) CAMPEG. VITRINGA *in Obſeruat. Sacrar. Tom. I. Libr. III. Cap. XXI. de* SCHISMATIS ET SECTIS *Eccleſiae Corinthiacae*, p. m. 808. ſq

(κ) In libri huius ortum, compoſitionem et reliqua criticam exercet IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *in Bibliothec. Hebraic. pag.* 440

(λ) Part. V. §. XV. pag. 359

מקוצרים מן הדעות אשר נתבררו אצל חכמי שרשי האמונה והם הנקראים אצל הקראים בעלי חכמת הדברים: *Explica mihi, quaeso, generalia quaedam fundamenta de sententiis, quae habent sapientes fundamentorum fidei, qui a Karaeis vocantur Periti* SAPIENTIAE VERBORVM. Quam ad quaestionem Iudaeus hac ratione respondet: אין בזולה התועלה זולת החדוד בדברים והעזר על מה שנאמר הוי זהיר במה שתשיב את אפיקורוס כי החכם התמים כמו הנביאים על הדמיון מעט הוא שיוכל להועיל אותם בדרך הלמוד ולא ישיב על חולק בדרך הדבור ובעל הדבור יראה עליו הוד חכמה עד שישיב לו השומע יתרון על התמים החסיד אשר חכמתו אמונות לא ישיבהו מהם משיב: *In his nihil utilitatis est, praeterr acumen verborum, seu terminorum, et aliquid adiumenti ad id, quod dicitur:* esto monitus, vt discas legem, vt respondere queas epicureo. *Nam sapiens perfectus, uti similitudinis causa prophetae, non multum proficere queunt alicui per modum institutionis, siquidem non respondet dissentienti per modum* λόγε. *Sed* בעל הדבור ἀνὴρ λόγιος (LOGICVS) *reportaturus sibi est palmam sapientiae, ita vt auditor ipsum longe sit sublaturus super sapientem illum perfectum et pium, cuius sapientia constat fundamentis, a quibus nullus illum* disputator *dimouere potest.* Dicti itaque sunt sectae loquentium professores, מדברים, et doctrina ipsorum, חכמת הדברים, *sapientia verborum*, Arabice עלם אלכאלם. (μ)

§. IV. Hisce obseruatis, animaduertere insuper abs re non, vt opinor, erit, et bene et male audire apud scriptores hanc

(μ) Vide sis, quae obseruat EDVARD. POCOCKIVS ad GREG. ABVLFARAII Malatens. *de Origine et Moribus Arabum Succinct. Narrat. Sect. II. vbi* אלכאלם reddit per *Theologiam scholasticam*

hanc מרברים sectam. Male audit R. SAM. ABENTYBBONI, (ν) qui vocari hanc philosophiam existimat, חכמת הרברים quasi dicas intellectualem eam non esse, et cum ratione minus congruentem. מרברים *nomen*, inquit, *est certae cuiusdam sectae philosophorum sciolorum, qui de rebus statuunt, non secundum intellectum, neque secundum earum naturam, sed secundum imaginationem et phantasiam suam, & confundunt homines multitudine verborum, et orationibus speciosis, quae nullam habent* (ξ) *veritatem.* Qua descriptione ABEN TYBBON accensere istos videtur sophistis (ο) veteribus, quorum de verbo-

(ν) Citatur ABEN TYBBON a BVXTORFIO *in Not. ad Cosri Part. V. §. XV. p. 360*

(ξ) Sunt, quae fauere huic sententiae videri queunt, apud MAIMONIDEM *in More Neuochim Part. I. cap. XXXIII.* p. 158. Edit. Buxtorf. et cap. LXXIV

(ο) Hac de adpellatione notes velim, et in bonam et in malam partem accipi apud scriptores. SOPHISTAE Atheniensibus olim dicti sunt, viri sapientes, et eloquentiae aliarumque bonarum artium doctores. Ita enim DIOGENES LAERTIVS in Prooem. dicit: ϑᾶττον δὲ ἐκαλεῖτο σοφία, καὶ σοφὸς, ὁ ταύτην ἐπαγγελλόμενος, ὃς εἴη ἂν κατὰ ἀκρότητα ψυχῆς ἀπηκριβωμένος. Φιλόσοφος δὲ, ὁ σοφίαν ἀσπαζόμενος. οἱ δὲ σοφοὶ καὶ σοφισταὶ ἐκαλοῦντο. Καὶ οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ οἱ ποιηταὶ, σοφισταί. Κατὰ καὶ Κρατῖνος ἐν Ἀρχιλόχῳ τοὺς περὶ Ὅμηρον καὶ Ἡσίοδον ἐπαινῶν, οὕτως καλεῖ; *Antea sapientia dicta, quae nunc philosophia; et qui hanc profitebatur, sapiens, quicunque ad summam perspicacitatem animi peruenisset: philosophus autem, qui sapientiam amplecteretur. Ipsi tamen sapientes sophistae sunt dicti, neque hi solum, verum etiam poetae, quandoque sophistarum adpellatione honorantur. Nam Cratinus in Archilocho, Homerum et Hesiodum admiratus, ita vocat.* Tandem, vt fieri solet, inscitia nonnullorum, et improbitas omnibus

rum (π) tumore, et sono prorsum inani, multa scriptores (ρ) tradunt, eosque derident. Melius vero *loquentium secta* audit R. IEHVDAE MVSCATO in commentario ad locum (σ) COSRI, vbi vocat sectae illius adseclas המדברים בדרך הנצחון *dialectice loquentes*, vt a doctrina sua denominatos hoc modo arbitretur, quod sint subtiles admodum disputatores, perfectiq; oratores, et illis quidem oppositi, qui פלספים vulgo dicuntur, id qvod ex MAIMONIDE constat passim. Quo igitur significatu potissimum dicti sint philosophi, מדברים, difficile decisu erit, quum vterque se probet. R. MVSCATVS posteriorem praeferendum esse censet, licet fieri potuerit, vt postea remanserit hoc nomen certae cuidam sectae, sapientiam sine sapientia et arte adfectanti

§. V. Equidem dissimulandum non est, illam מדברים *loquentium*, sectam sequioribus demum saeculis christianismi in oriente apud Arabes aliosque floruisse, vt ex libro COSRI pari-

bus inuidiam peperit; itaque factum est, vt *Sophistae* adpellarentur homines *vani* et *ambitiosi*, qui soli sibi sapere videbantur, et non solum de quauis subiecta re et causa inuictis argumentis et oratione copiosissima se disserturos, sed eamdem artem facili negotio breuique temporis spatio discipulis suis instillaturos, inani pollicitationum magnificentia profitebantur. Vnde deceptis aliis, et semetipsi et omnes bonarum litterarum peritos in summum odium et inuidiam adduxerunt

(π) De SOPHISTARVM eloquentiae naeuis adcurate egit GENIC. KRIEGK *in Diss. de Sophistarum eloquentia*, Ien. hab. 1702

(ρ) Conf. ISOCRATIS *Oratio contra Sophistas*, quae habetur in Opp. eius p. m. 67 TERTVLLIANI *Lib. de Idololatria* p. m. 151. ANTON. WOODT *Antiquitat. Oxoniens. Lib. II. p. m. 8*

(σ) Part. V. §. 1. p. m. 326

pariter ac MAIMONIDE affatim conſtat. At enim vero quum omnis et philoſophandi et orandi ratio recentior, a Iudaeis Arabibusque exculta, ortum debeat philoſophiae et eloquentiae graecae, dubium vix ſupereſt, quin ipſi quoque philoſophi, מדברים dicti, referendi veniant ad veteres graecos, qui eamdem ſapientiae rationem ſequuti fuerunt, Διαλεκτικοὶ puta, *dialecticae* inprimis et *rhetoricae* ſtudium dedicantes ſuum

§. VI. Hiſtoriae litterariae ſtudioſis ignotum non eſt, EVCLIDEM MEGARICVM ita incubuiſſe ad ſtudium logices, vt, quod ZENONIS artem impenſe coluerit, diſcipuli eius *dialectici* dicti fuerint. Erat vero ZENO iſte ELEATES, cuius vitam exhibet STANLEIVS, (τ) et quo de apud DIOGENEM LAERTIVM (υ) et SEXTVM EMPIRICVM (φ) adfirmatum *Ariſtoteli* eſt, dialectices (χ) inuentorem fuiſſe; vtpote quam artem excoluit magis magisque *Euclides Megarenſis*, qui ingenio indulgens ſuo, ſectam inſtituit, *megaricam* prius, a loco natali, *eriſticam* deinde, ab indole contentioſa, et *dialecticam* poſtremo dictam; vtpote quod nomen primus ei dedit DIONYSIVS CARTHAGINIENSIS, (ψ) quippe interrogationibus et reſponſionibus diſcurſum eorum abſolui videret

§. VII.

(τ) THOM. STANLEIVS *in Hiſtor. Philoſophiae Part. X. pag. 881.* Edit. Olear. cui addas P. BAELIVM *in Lexico Critico.* Artic. ZENON, vbi res ad Zenonem pertinentes maxima cum induſtria perluſtrantur

(υ) *Lib. IX. in Zenon. Eleat. pag. 645.* Edit. Henr. Stephan. 1593

(φ) SEXT. EMPIRIC. *adu. Mathem. Lib. VIII. p. 193*

(χ) De Dialectices inuentione pluribus diſputat ALEX. SARDVS FERRARIENSIS *de Rerum inuentoribus* p. 6. ſq

(ψ) DIOGEN. LAERTIVS *Libr. II. in Euclid. pag. 159*

§. VII. Zenonis Eleatis dialecticam sequutus est ZENO CITTICVS, (ω) illustris *sectae stoicae* conditor, relatus a SCHRADERO (αα) ad annum ante Christum natum circiter CCLXXV. qui postremo omnium, licet aequales iam omnes anteiret in philosophiae studio, audiuit (ββ) POLEMONEM, quem dixisse aiunt: *non latet nos Zeno, te* (γγ) *phoenicio*

(ω) STRABO *Lib. XIV.* Κίττιον ἔχει λιμένα κλειστόν, ἐντεῦθεν ἐστι Ζήνων, ὁ τῆς Στωικῆς αἱρέσεως ἀρχηγέτης. *Cittium habet portum, qui claudi potest. Hinc Zeno ortus, sectae stoicae dux et princeps.* Hac de stoicorum secta erudite differentem vide, praeter STANLEIVM l. c. p. 542. GER. IO. VOSSIVM *de Philosophorum sectis Cap. XIX. p. m. 100. conf.* HESYCHII ILLVSTRII *de Philosoph. p. m. 33*

(αα) *Tab. Chronolog. p. 7*

(ββ) DIOGEN. LAERT. *Lib. VII. in Zenon. p. 451.* SVIDA *in voce* Ζήνων

(γγ) Apud DIOGEN. LAERTIVM l. c. ita graece exprimitur: οὐ λανθάνεις, ὦ Ζήνων, ταῖς κηπαίαις παρεισρέων θύραις, καὶ τὰ δόγματα κλέπτων Φοινικικῶς μεταμφιεννύς. Vbi Φοινικικῶς est, PHOENICVM MORE, non vt vertunt nonnulli, *phoenicio amictu.* Erant Phoenicii mercatura egregii, sed callidi, dolosi furaces, vt in prouerbium quoque abierint: *Phoenicum more.* Hinc PLATO differens *Lib. III. de Republic.* sub fin. p. m. 407. de iis, qui magistratui licitum credunt, mendaciis vti ac fraude, ait: μηδὲν καινὸν ἦν δ' ἐγώ, ἀλλὰ Φοινικικόν τι. *Nihil noui equidem, sed phoenicium quiddam.* Atque eadem haec imago est, quam de Tyriis, seu Phoenicibus, nobis sistit VIRGILIVS *in Aeneid. Lib. I. vers. 665. his verbis: Quippe domum timet ambiguam,* TYRIOSQVE BILINGVES. Quam loquendi rationem erudite pariter ac solide ex aliis bonae notae scriptoribus interpretatur MASSON *dans l'Histoire Critique de la Republique des Lettres, Tom. VIII. pag. 47. sqq.* vbi LA CERDA doctus Iesuita,

nicio more, per horti ianuas irrepere, atque dogmata furari. Omnibus demum philoſophiae partibus imbutus probe, et inſtructus, quum et ipſe de aperienda ſchola cogitaret, de

C lectaque

Ieſuita, cui BILINGVIS, *duabus linguis vtens*, non ſine bile confutatur, atque ita demum clauditur: *De plus, le docte Ieſuite auroit dû conſiderer attentiuement, que* Bilinguis *repond ici exactement au* δίγλωττος, *ou* δίγλωσσος, *des Grecs: or* Heſychius, *le plus docte et le meilleur de tous les anciens Lexicographes Grecs, qui nous reſtent, explique fort bien ce terme par* διχόθυμος (*c' eſt-à-dire, double de coeur*) *et ce dernier il l' interprête par* διάβολος, *vn trompeur, vn fourbe.* Locis a Maſſonio, ad illuſtrandam vocem *Bilinguis*, conquiſitis et prolatis adde PHAEDRVM *in Lib. II. Fabul. IV. vers. 24.* Ceterum Phoenicum naturam atque indolem egregie exprimit HOMERVS *Lib. XV. Odyſſ. vers. 414. - 418.*

Ἔνθα δὲ Φοίνικες ναυσίκλυτοι ἤλυθον ἄνδρες
Τρῶκται, μυρί' ἄγοντες ἀθύρματα νηῒ μελαίνῃ.
Ἔσκε δὲ πατρὸς ἐμοῖο γυνὴ Φοίνισσ' ἐνὶ οἴκῳ
Καλή τε μεγάλη τε, καὶ ἀγλαὰ ἔργ' εἰδυῖα.
Τὴν δ' ἄρα Φοίνικες ΠΟΛΥΠΑΙΠΑΛΟΙ ἠπερόπευον.
Illuc autem PHOENICES *nauibus inclyti venerunt viri*
Vafri, infinita agentes ludicra naue nigra.
Erat autem patris mei vxor Phoeniſſa in domo
Pulchraque magnaque, et ſplendida opera ſciens.
Hanc autem Phoenices CALLIDI *deceperunt.*

conf. BOCHARTVM *in Canaan. Lib. I. Cap.* 7. p. m. 594. et *Adag. Graecor. ab* ANDR. SCHOTTO edita, Antverp. 1612. in 4. p. m. 250 et pag. 537. item Obſeruationes noſtras, quas edimus ſub nomine THEOPH. ALETHAEI **Erleuterungen der dunckeln Oerter A. und N. Testaments** / Tom. II. Faſcic. XXIII. p. 652. ſqq. *Phoenicius* ZENO audit Suidae l. c. quod *Cittii* natus fuit, vrbe *phoenicibus* habitata. Vid. *Io. Alb.* FABRICII *Bibliotb. Graec. Tom. II. Lib. III. cap. 15. p. 413*

lectaque sibi *porticu* (δδ) *varia* (ποικίλῃ στοᾷ graecis dicta,) maximus ad eum discipulorum concursus factus esset, a loco illis, vt ERATOSTHENI (εε) traditum, *stoicorum* nomen haesit

§. IIX. Tanto vero in pretio dialectica stoicis fuit, vt sapientem absque illa in oratione sine lapsu non futurum adfirmarent. Quae dialectica pars ipsis erat *logicae*, vtpote quam in duas disciplinas plerique diuidi posse autumant, *rhetoricam* nempe et *dialecticam*. *Rhetorica* iis ars est, bene dicendi de iis, quae copiosam orationem requirunt, ad persuadendum idonea: *Dialectica* vero, est recte iudicandi et disserendi scientia, oratione, quae interrogando et respondendo absoluitur. Quam vtramque disciplinam, qui probe didicerat, is demum ἀνὴρ λόγιος iure ipsis esse potuit

§. IX. Id quod quam apte conueniat cum Apollonis elogio, nemo non videt. Dicitur is ἀνὴρ λόγιος, quod honoris nomen adfectabant graecorum Διαλεκτικοὶ, et המדברים Arabum. *Hi* igitur *ratione* et *oratione* pollentes, ceterisque praeuertentes palmam, בעלים הדבור, *illi* vero eodem excellentes modo ἄνδρες λόγιοι dici solebant. Vt vix dubitandi locus sit, quin ad huius generis philosophorum sectam APOLLO noster pertinuerit olim, cuius disserendi orandique facultas, diuina illuminandi vi, sanctior deinde ac purior euasit

§. X. Etenim vt illud porro addam, ad Apostolorum vsque tempora, imo vlterius excultam stoicorum ac dialecticorum

(δδ) DIOGEN. LAERT. *Lib. VII.* p. 437. Zenonem docuisse ait: ἐν τῇ ποικίλῃ στοᾷ τῇ καὶ πεισιανακτείῳ καλουμένῃ, ἀπὸ δὲ τῆς γραφῆς τῆς Πολυγνώτου ποικίλῃ. *In porticu varia, quae et* πεισιανάκτειος *dicebatur: varia autem a Polygnoti pictura*

(εε) Lib. VIII. de Comoed, Antiqu. apud STANLEIVM pag. 544

corum sectam floruisse, non ex profanis solum, sed sacris etiam historiarum paginis innotescit. Excepit Zenonem (ζζ) CHRYSIPPVS, qui dialectices arte ita eluxit, vt antiquitus multi dicerent, *si apud Deos vsus dialecticae esset, non futuram eam aliam, quam Chrysippeam.* Quem sequuti sunt (ηη) ZENO Tarsensis, vel, vt aliis placet, Sidonius, et DIOGENES Babylonius, vterque Chrysippi discipulus, quorum posteriorem CICERO (θθ) *magnum* et *grauem stoicum* adpellat, nactum in schola sua successorem ANTIPATRVM, (ιι) hominem et acutissimum et ἄνδρα λόγιον, cui discipulus auspicio felici obtigit PANAETIVS (κκ) Scipioni Africano comes in itinere Alexandrino, diuinisque laudibus a CICERONE (λλ) ornatus. Quem ordine demum excepit POSIDONIVS, a Pompeio tanti factus, vt, quum ad audiendum eum Rhodium se contulisset, limini adstans, percuti de more fores a lictore vetaret, fascibus ianuae submissis. Atque idem ille Posidonius est, ad quem continua sectae stoicae statorum successio (μμ) intemerata mansit. Huius vero sectae doctrina ita se probauit excellentioris ingenii viris, vt non multi solum ex nobilissimis Romanorum sequerentur

(ζζ) DIOG. LAERT. *VII. p. 550*
(ηη) SVIDA *in voce* Ζήνων
(θθ) *in Tusc. Qu. III. 12*
(ιι) CICERO *de Offic. Lib. III. cap. 12.* SENEC. *Epist. 92.* LIPSIVS *in Manuduct.* AD STOIC. PHILOSOPH. *Lib. I. Dissert. XI.* quae habetur in Opp. Tom. IV
(κκ) PLVTARCHVS *in Apophthegmat. p. 200*
(λλ) CICERO *Lib. III. de Offic. cap. 2.*
(μμ) PLINIVS *Libr. VII. cap. 30*

tur illam, ſed Iudaeorum (νν) quoque principes, atque ex antiquis Theologis plerique a ſtoicis (ξξ) profecti fuerint. Et quum praeter *epicureos, ſtoicae* etiam ſectae cultores, gentium (οο) Apoſtolo Athenis ſe oppoſuerint, ſcripturae diuinae ductu non ſine fiducia inde colligimus, ſectam illam et Apollonis, Pauli aequalis, aeuo in admiratione oppido fuiſſe.

§. XI. Quae dum adfirmo, libenterque, ni fallor, largiris mihi, forte miraberis, occupatum me in eo eſſe, vt, quei ſectae ſtoicae doctrina Athenis, aliisque in locis, ad aetatem vsque Apollonis noſtri ſummis viris in pretio fuerit, euincam: nondum autem euictum a me datum, *Alexandriae* etiam, vbi natus educatusque APOLLO eſt, cultam eamdem ac publice propugnatam eſſe. Sed mirari deſinas: tantum enim abeſt, vt florentisſima ſtoicorum ſecta Athenarum pomoeriis includi potuerit, vt ſapientiae ſtudioſi, ex disſitis vndique locis huc aduolantes, longe lateque ſparſerint, ipſamque Alexandriam, muſarum ſedem, ad-

(νν) *Phariſaeos* olim, inter Iudaeos ſectam nobilem, ad *ſtoicam* proxime accesſiſſe, IOSEPHO credas, qui inter ipſos nomen profesſus, *in Vita ſua* palam adſeuerat: Εννεακαίδεκα ἔτη ἔχων, inquit, ἠρξάμην τε πολιτεύεσθαι, τῶν Φαρισαίων αἱρέσει κατακολουθῶν, ἣ παραπλήσιός ἐστι τῇ παρ᾽ ἕλλησι Στοϊκῇ λεγομένῃ. *Annos nouendecim natus ad rempublicam coepi me dare, Phariſaeorum adſecla, quae ſane ſectae illi ſtoicorum apud Graecos maxime eſt conſentanea*

(ξξ) VOSSIVS *l. c. cap. X. p. m. 108. et* IVSTVS LIPSIVS *in Manuduct. ad Stoic. Philoſ. Lib. I. Diſſ. 17. p. m. 674. ſq*

(οο) Act. XVII

adtulerint eamdem. Nec fas aequumue videtur eſſe, tantum animi torporem Alexandrini muſei doctoribus tribuere, ac ſi neglexerint prorſum ſectae tam celebris doctrinam, nec ſuis expoſuerint alumnis. Quid? quod ipſe PTOLOMAEVS, Rex Ægypti, plenius haud dubie ſe informaturus de eadem, CLEANTHEM litteris orauit, ad ſe vt vel ipſe veniret, vel ex diſcipulis mitteret aliquem: nec irrito conſilio: ſiquidem SPHAERVS, (ππ) Zenonis Cleanthisque auditor, Alexandriam ſeſe ad Ptolomaeum Philopatora contulit, et doctrinam ibi ſtoicorum publice profesſus eſt. Quae adeo etiam culta deinceps eſt, inualuitque, vt ad CLEMENTIS *Alexandrini* aetatem vsque viguerit, qui et ipſe paſſim *ſtoicum* (ϱϱ) ſe prodit. Quid mirum igitur, APOLLONEM quoque Alexandrinum, Alexandriae ſectae tam illuſtris doctrinam familiarem ſibi reddidiſſe, ac dialecticam potiſſimum rhetoricae ſtudio prudentisſime iunxiſſe?

§. XII. Sed quo demum modo ſe res habet, id ſaltem extra dubitationis aleam poſitum eſſe videtur, APOLLONEM noſtrum bonorum more oratorum, dialecticam oratoriae iungentium, et *rationis* et *orationis* praeſtantia impenſe excelluiſſe, eademq; Apoſtolorum aeuo tam nobile ſibi nomen adeptum eſſe, vt ἀνὴρ λόγιος dici potuerit. Dicta igitur haec ſunto de APOLLONIS ELOGIO, quod ex antiquitate vberius inluminare iccirco voluimus, vt de eadem fidelia duos dealbando parietes, et expeditiorem viam redderemus, cura-

D tius

(ππ) LAERT. VII. *in Sphaero p. 548.* ATHENAEVS *Lib. VIII. cap. 13*

(ϱϱ) VOSSIVS l. c. p. m. 108

tius aliquanto de Apollonis eloquentia iudicandi, et occasionem ſuppeditaremus ſtudioſae iuuentuti, in antiquitatis monumenta auidius inuolandi, quaeque latent in iisdem ſapientiae ſemina, colligendi, et adplicandi eadem ad altiora. Reliqua propediem ſequentur, adiuuante

SVMMO NVMINE

COROLLARIA

I. Apollonem Epiſtolae ad Hebraeos auctorem non ſine graui cauſa Lutherus facit

II. Stoicorum Placita cum coeleſti veritate non ita, vt perſuaſum quidem nonnullis eſt, amice conſpirant

III. Sanctae religionis interpretes, publicosque ex ambone hortatores pietatis, decet eloquentia et ornat

IV. Scriptura cum ratione explicanda eſt, et per orationem ſuadenda

V. Eloquentia ars minus honeſta non eſt

VI. Ars loquendi et Eloquentia differunt

VII. Non minus oratorium eſt tacere, quam dicere. Plin. VII. Epiſt. 6

Iuueni
Ingenii, Induſtriae, virtutisque laudibus florentiſſimo
ALBR. CHRISTIAN. ROTTHIO
Adfini ſuo dilectisſimo
S. P. D.
PRAESES

TVO inprimis deſiderio factum eſt, vt Diſſertationibus de Apollonis Eloquentia *conſcribendis manum admouerem horis ſubſeciuis, et quae ex antiquitatum penu depromta Tibi erant, huc ſimul conferrem. Ea enim indoles Tibi ac natura eſt, vt elegantiorum litterarum omnisque antiquitatis cura et amore ad meliora laudatuque digna ſponte curras, ſanguine paterno maternoque excitatus. Obuerſantur oculis Tuis inluſtris* CARPZOVIANAE *ſtirpis praeclara lumina, aui proauique, maiores et propinqui: nec* PARENTIS, *in beatorum choro nunc ouantis imago ex mente animoque excidere vllo modo Tibi poteſt. Profecto nunquam intermorietur ſacrarum et humaniorum litterarum ſcientiae laus, quam* Parens *Tuus, isque* Socer *meus poſt fata etiam pie venerandus, nactus eſt in orbe*

orbe erudito: nec obliuioni
Carpzouii *rem ſacram aeq*
ſemper, et adhuc dum praec
probe noueris, vix fieri alite
defeſſo ad bonarum litteraru
que intentiori Te ad altiora
eſt, quod penitius qui Te nor
oportet. Quieta cum induſt
rum ſunt, huc vsque in Gyn
quo minus iuuentatis illecebri
uens ac muſis, eo magis plac
mos Tibi deuincis. Perge
ac pia inſiſte optimis virt
cellis et heic et in Acade
fice a Te ipſo. Non deeru
diaque Tua prouehere voler
bono animo litteris vacare ſ
corporis mentisque vires Tib
ſummo bonorum fonte p
ſingae d. M

)(o)

liuioni tradentur merita, quibus
im aeque ac ciuilem ornarunt
n praeclare ornant. Quae quum
eri aliter poteſt, quin conatu in-
tterarum ſtudia incumbas, cura-
altiora pares. Atque idem illud
Te norunt, cum laude feteantur
industria, quae partium Tua-
in Gymnaſio noſtro peregiſti: et
illecebris Te capi pateris, Tibi vi-
gis places, eo magis bonorum ani-
Perge igitur, menteque alacri
s virtutis et humanitatis can-
Academia, nec vnquam de-
deerunt, qui iuuare Te, ſtu-
e volent, poteruntque. Et vt
acare ſemper poſſis, intemeratas
ires Tibi ad ſeros vitae annos, a
fonte precor. Scrib. Schleu-
Maii CIↃIↃCCXVII